



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apologia Libri De Reditibus Ecclesiasticis

Azpilcueta, Martín de

Antverpiæ, 1574

Pio Lectori Martinvs Ab Azpilcveta, Doctor Navarrvs, S. In Domino
Plvrimam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40048

PIO LECTORI MARTINVS

AB AZPILCVETA, DOCTOR

NAVARRVS, S. IN DOMI-

NO PLVRIMAM.



RESPONSIVVS quam breuissimè cuidam Antipologiae scriptae in me, & S. D. N. dicatae, praemoneo te pie Lector, scripsisse me sermone Hispano, in Hispania abhinc circiter octo annis quendam libellum, de reatibus Ecclesiasticis super c. fin. 16. q. 1. quem Regi nostro Philippo II. Catholicissimo nonnullis de causis dicaui, & postea latinitate donatum in Latino, fel. record. Pio V. ob alias nuncupavi: in quem quidam N. (huius nomen causa honoris & amoris, taceo,) genere & munere illustris, alium eiusdem tituli librum me praesente, & nullatenus praemunito, in Vrbe editum eidem Pio dedicauit, spiritu non factis (vt quibusdam etiam Illustrissimis viris visum fuit) amico, cum ante triginta annos Salmanticae fuisset mihi multis nominibus amicus, quando ego primae functionis canonum Cathedralis, post multorum annorum praefectionem regebam, & nondum ipse illos audire cepisset, & de quo in Vrbe bene mereri studui, etiam in quibusdam suae conscientiae scrupulis contundendis, cui profecto non respondi, nisi intellexissem aliquot auditores meos antiquiores illo utriusque Iuris professione, in Vrbe & in Hispania, voluisse respondere, & timuissimè, ne in ea re pro sua in me maxima beneuolentia, modum excederet, & ne plurima vera quae facta recta remanere Reipub. Christ. intererat, iusto patrocinio destituerentur. Quare, ipsemet debita cum modestia, & tacito nomine, causa praedicta, Apologiam eius compositam eidem Pio nuncupavi, reputans fore, vt ei satisfaceret: contra tamen euenit, quoniam licet suum librum iterum, vt ipse testatur, in Hispania imprimi fecerit, & multa vt audio mutauerit, Antipologiam tamen praedictam clam me misit ad Urbem, quae nudiustertius x. Kal. Nouemb. huius an. M. D. LXXI. quo finem editioni Latinae Manualis Confessoriorum ponebam, in manus meas venit: cui Antipologiae eisdem de causis quibus Apologiam scripsi, hoc quoque, ceu eius auctariu 20. Responsis digestum, sub censura tamen sanctae Sed. Apost. & cuiuslibet alius rectè sentientis, subitico: precatu imprimis D. IESVM, de cuius patrimonio Christianè impendendo agitur, vt suae gloriosissimae Virginis matris interuentu, spiritu recto nos donet, & principali confirmet, quod dicenda omnia ei placeant. Amen.